

1294 Juni 6.

Der Knappe Fredericus dictus Burse leiftet auf die Huſe Hemmiking, Kipl. Oſterwick, Verzicht vor den Burgmännern in Nienborg.

In nomine ſancte et individue Trinitatis, amen. Ut rerum rite gearum plenius valeat memoria conſervari, cautum eſt et utile eſſe videtur, ut ea, que geſta ſunt, ſic preſencium iuventur teſtimonio, quatenus omnia ſicuti ſunt, ſi neceſſe fuerit, liquere poſſint fidelium poſteritati. Proinde ego Fredericus famulus dictus Burſe, Cunegundis uxor mea et noſtri liberi et coheredes dignum duximus cunctis conſtare fidelibus, quod nos unanimi conſenſu pure et plane vendidimus manſum noſtrum Hemmiking iuxta clauſtrum Aſbeke, ſitum in parrochia Oſtervic, qui nos iure proprietatis contingebat, cum lignis, pratis, paſcuſis ſeu cum omnibus ſuis attineneciis una cum hominibus ad eundem manſum pertinentibus, venerabili dompne Aleydi prioriſſe et ſuis ſucceſſoribus et conventui in Aſbeke pro propriis bonis pro triginta V marcis Monasterienſis monete, resignantes eundem cum ſuis attineneciis, ut dictum eſt, in preſencia caſtrenſium Novi caſtri coniunctis manibus in manus dicte prioriſſe et conſororum eius vice et nomine ſui conventus in Aſbeke iure hereditario pro propriis bonis et liberis quiete et libere perpetuo poſſidendum. Proſteſtamur etiam nos dictam pecuniam exintegro

recepſiſſe. In cuius rei teſtimonium preſentem litteram ipsis tradidimus ſigillo communi caſtrenſium Novi caſtri firmitus roboratam, quod preſentibus appendi rogavimus cum affectu. Nos vero caſtrenſes Novi caſtri ſupradictis teſtimonium perhibentes ad petitionem ſupradictorum ſigillum noſtrum commune preſentibus eſt appenſum. Datum anno Domini M^oC^oC^oX^oCIIII^o in feſto Pentecoſtes.

Orig.; Siegel von grün-gelb-weißen Seidenſchnüren ab; L. III J. 2 P. 4 Nr. 11, erwähnt Wilmanſ III S. 776 Num. 4.

Beiheft

2

58